

cumstantiis quomodo? ac quando? remanente. Ultro-
 bique enim *Oeconomia alia DEI extraordinaria, a verbi di-*
vini praedicatione per ministerium haecenus facta longe di-
versa, propediem expectanda & futura creditur, hoc sal-
 tem desideratur, quod illam Inspirati *intempestive ad se tra-*
bant, & ad suas agitationes applicent, cum tamen illa oe-
 conomia & *alio tempore & alio modo* se sit aliquando satis
 conspicuam praestitura. Tantillum est, in quo differre
 utrosque sagax animus deprehendit, in reliquis consensum
 haud difficilem esse auguramur, adeo ut prioribus assertis
 illius scripti & toti sectioni primae non gravatim Fanaticus
 subtilior Inspirationem jactans subscripturus sit, facile dein-
 ceptus confecturus, illam inspirationem suam esse genuinam,
cum Spiritus S. in oeconomia sua extraordinaria ad regulas
tum ingenii humani & rationis, ex quibus de agitationibus
illis nihil constet, tum ipsius scripturae & librorum
Symbolicorum minime debeat dijudicari, cum sit liberrimus &
& in actionum suarum modo, nullo circulo circumscribendus
ac definiendus, quod in quaestionibus II. III. & sequentibus
 non verentur docere Inspirati non Inspirati.

VII.

Nunc vero circa *quaestionem primam* saltem occupabi-
 mur, quam antea enarravimus, & videbimus, quid sub illa
 veneni reconditum lateat, & ita instar rubeti complicatum,
 ut non sine horrore intueamur, cum non in eo divina ma-
 jestas ut Mosi, sed Satanae fraus & astutia hac postrema mun-
 di senecta admodum operosa nobis se conspiciendam
 praebet. Eoque magis miramur, quomodo factum fue-
 rit ut in responsione J. L. ad exceptiones Fanaticorum ne
 verbo quidem hac quaestiones tactae deprehendantur, quae
 tamen coram universa Ecclesia propositae, & ipsi sigillatim
 ad evolutionem oblatae leguntur. Conjecturam nostram
 non